



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

1 Notarius, quando a visitatis aliquid accipere valet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

TITVLVS XXXI.

De Censibus.

SVMAMRIVM.

- 1 Notarius, quando a visitatis aliquid accipere valet.
- 2 Gabellas novas imponit superior, vetans extrahi triticum non molitum.
- 3 Edictum monitorium, sicut censura, causam iustificatiuam continere debet.
- 4 Censuræ redimibilis pretium non est iure communi taxatum, & a quo taxandum.
- 5 Censuræ impositio super re aliena fieri debet pecunia numerata.
- 6 Censuræ annuus quali pretio emi possit sine usura.
- 7 Consuetudo soluendi tributum episcopo an reuocari possit.
- 8 Censuræ perpetuus constitui potest sine circumstantijs a Pio V. requisitis.
- 9 Censuræ, super qua re poni, aut quo tempore solui potest.
- 10 Subsidiū charitativum episcopus petere potest.
- 11 Visitator aliquid malè accipiens est ipso iure suspensus.
- 12 Clericus soluens spontè collectas peccat, sed non excommunicatur, exigens autem sic.
- 13 Gabellas, ac Datia noua imponere potest Marchio Mantua, sine excommunicatione.
- 14 Censuræ cum pacto, vt sit liber ab omni onere, iuste imponi potest.
- 15 Episcopi pro ineundo eorum aduentu, aliquid accipere, & petere possunt.
- 16 Gabellam imponere, ius est Principi reseruatum.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtrisque.

- 1 Notarius, seu cancellarius Episcopi ab his, qui visitantur, rōne decretorum, & scripturarū in visitatione factarum, iustum salariū accipere potest, c. statum, §. notarius, de refer. in 6. nisi de familia visitatoris sit, vel nisi illud ex publico habeat, vt ait Pan. in c. 1. nu. 9. de simo, aut consuetudo, vel statutum rationale illud sibi prohibeat, vt inquit Concil. Trident. sess. 24. c. 3. de refer. Neq; enim notarij de familia visitatoris esse solent, nec famuli eorum, nec visitatis, aut visitatoribus gratis seruire tenentur, vt patet ex c. 1. §. q. 1. & lege naturæ, & diuina, operarius dignus est mercede sua, vt colligitur Luc. 10. c. . .

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 8.

- 2 Dominus & superior qui subditis suis imponit, ne triticum extra territorium eius integrum, & non molitum vendere possint, Bullæ Cœnæ Domini, vetanti, ne quis noua pædagia, & gabellas imponat, contrauenire censetur; quia cum id, quod nostrum est, a nobis absq; nostro consensu auferri non debet, id quod nostrum, ff. de reg. iur. & ait Innoc. in c. qua in ecclesiarum, de const. & libertas exportandi triticum vendibile non molitum extra territorium bonum quoddam sit, pecunia æstimabile subditorum, absque illorum consensu eis auferendum non est; & per gabellas, & pædagia noua, etiam incrementa eorum, & onus, & grauamen nouum pecunia æstimabile intelligitur.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 35. de sententia excommuni.

- 3 Ecclesia licet census sibi debitos exigere possit, edictū in seū monitorium pro iisdem soluendis sine clausula iustificatiua petere non potest, sed ipso iure nullum

censetur, quod sine clausula iustificatiua factum sit; enim edictum monitorium, sicut Censuræ per præcepta de re aliqua faciendæ, vel danda late. caus. m. iustificatiuam (nempe, quod si quis aliquam iustam causam habuerit, de non parendo mandato in eo contento & eam voluerit allegare, audietur intra tempus in eo præfixum) continere debet; Al oquin ipso iure nullum censetur; ex Gl. in c. ex parte de ver. b. signif. Sed neque monitoria, quamlibet iusta, partem aduersariam ligat, aut eos qui aliquid iuste tenent, vel probabiliter credunt esse suas; quia nemo contra se aduersarium suum iuuare tenetur; ita Fel. in c. si duobus. de appell. sed illos solos ligare censetur, qui vel iniuste detinent bona aliqua, vel sciunt, qui sint, qui illa iniuste tenent; vnde qui teneret aliquid clam acceptum pro eo, quod sibi verè deberetur, virtute alicuius Monitorij id manifestare non tenetur.

DECISIO IV.

Ex cons. 79. alias 3. de empt. & vendit.

- 4 Episcopi licentia, quamuis ad exercendos contractus Censiticos vtilis esse possit ad tollendos scrupulos, necessaria tamen non est, sed eos vnusquisque sine aliqua Papæ, vel Episcopi, vel Superioris sui licentia debito modo licite inire potest: Censuræ autem saltem redimibilis pretium iure communi non est taxatum, sed in diuersis Prouincijs pro arbitrio Principis, consideratis circumstantijs necessarijs taxandum est.

DECISIO V.

Ex cons. 77. alias 1. de locato. & cond.

- 5 Contractus Censiticos (de quo in Bulla Pij V.) contractus est, per quem Dominus rei imponit alicui censum alteri super re sua, vel quæ putatur eius, pro certo pretio, & pecunia numerata, vnde non obstante Bulla illa, quæ ad vsuras palliatas arcendas, quæ fieri solebant inter simulantes vendere census pro certa pecunia, quam vere coram Deo assumentibus mutuo pro soluenda vsura nomine census edita fuit, licite prædium aliquod in censum annuum dare licet, cum contractus talis non censiticos, sed potius emptionis emphyteuticus, vel locationis censendus sit, ex §. adeo. in fin. de loca. & l. 1. & 2. C. de iure emph. qui licite contrahi potest.

DECISIO VI.

Ex cons. 9. alias 10. de empt. & vend.

- 6 Censum annuum magnum pro paruo pretio emens, vsuram non committit; cum in contractu vsurario necessum est, vt tradens pecuniam, formaliter, aut virtualiter aliquid ultra sortem vi mutui accipiat, & vt cedens obliget se formaliter, vel virtualiter ad dandum aliquid ultra sortem; cum tamen in dicta census emptione & venditione nihil simile reperiat; eo quod nec emens, pretium datum, nec vendens aut cedens præfatam præstationem annuam, repetere potest, & erit, quoties inter pretium datum, & præstationem annuam non seruetur æqualitas, vt asserit Nau. in Man. c. 23. nu. 78. iustè autem pensio, vel præstatio annua per quintuplicem cassari solet. Hæreditatem, ff. ad l. Fal. scilicet & Pensiones annuæ ad vitam Pensionarij concessæ, auctoritate Papæ per quintupli solutionem communiter redimuntur; & iustè centum quorannis pro mille accipi possunt, cum hac conditione, vt cessante vita accipientis, obligatio reddendi ea cesset.

DECISIO VII.

Ex consil. 7. alias 3.

- 7 Episcopus licet vrgente necessitate subsidiū charitativum a suis clericis petere potest; c. cum Apostolis, §. 1. de censib. aliquid tamen tanquam sibi debitum, cessante illa, dummodo consuetudine immemoriali, & bona fide illud non præscripserit, petere nequit. cap. fin. de consuet. & Pan. ibi. & gl. in c. 1. de const. Et talis consuetudo soluendi tributum Episcopo tanquam irrationalis a Papæ, habita ratione circumstantiarum redimium, rerum, personarum, & scandali, iustè reuocari potest, & debet.

DE